



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

13. Dies Septembris. Qui cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest, & cibus abest? Isidorus super Amos Prophet.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

quàm præfata tradit tessera, intelligendæ scientiæ
eam si fueris doctus, meritò tunc dixero cum Poëtâ

Plus probo thesaurum docti, quàm divitis aurum.

13. DIES SEPTEMBRIS.

Qui cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest, & cibus abest? *Isidorus per Amos Prophet.*

Absti- I.
nentia.

Abstinere à laude Abstinentiæ crimen esset injustitiæ; utpote, quæ jure meritò est laudanda, cum de te benè merita reddat laudabiles. Quid studes saginæ? Angeli expectant ad cœnam magnam in cœlis; quid tergurgitas cum pecudibus in terris? Qui ad opiparum invitatus est epulum: domi non farciat ingellicis stomachum. Invitatus es à magno illo Rege qui disposuit tibi mensam, ad manducandum celestem manna, in quo est omne delectamentum, quod te abjicis cum prodigo ad siliquas porcorum? Effax vitarum, hæc vita, & remotissima ab animationis partecipe; quantò magis à spiritu Dei compete. Prima lex, quam Deus unquam tulit, fuit abstinentiæ; ut per eam servaretur donum Innocentiæ. Tunc demùm, Adam exutus est veste nuptiali originalis Justitiæ, dum violavit legem Abstinentiæ. Quid Deo, & ventri? Quomodo Deus charum habebit eum, cui Deus venter est charus? Quomodo Divina Veritas in eò habitabit, qui amentissimus idololatra est? Extrema fuit olim instantia hominum; inclinare genua iis, quæ facta fuerant ab ho-

minibus. Quæ ergò, & hæc infania est; te inclinare non genu, sed cor his, qui destruuntur, & te destruent saporibus & cibus?

II. Quomodo cum Deo epulaberis? quomodo vitam cœlestem ages, & volabis cum Deo super pennas ventorum, ad vitam immortalem, si gaudes earum rerum vitâ, quæ hærent terræ, & fixæ sunt radicibus suis solo, atque adeò semisepulta? Nullius est vita magis mortalis, quàm eorum, qui ventrem saburrant ingestis, & indigestis ferculis: Quid enim aliud est illorum stomachus, quàm mortuorum animalium tumulus? Illi igitur, ventricolæ, augent suam mortalitatem; impinguando, quod in se est mortale, corpus, & corporis membra; extenuando, quod in illis est immortale, Animum, & Animi facultates. Adam, violato jejunio, statim factus est mortalis: tu quotidie fis mortalior, dum saginaris mortibus, & avidè aleris mortis altilibus. Non vivis, ut comedas; sed vivis, ut moriaris; & comedis, ne cito moriaris: celerius mors venit nimio, & exquisito cibo; cibus sit tibi vitæ pharmacum, non mortis toxicum. Hinc catè egit Pyrrhniculus Vasco: is peregre iter faciens, cum ad meritoriam tabernam venisset, & apposita esset cœna, omni ex parte olitoria, cum vino dilutissimo, omniaque administrarentur quàm parcissimè; finitâ cœnâ, jussit ad se vocari Medicum, ad mercedem capiendam: Igitur caupo cum respondisset; ecquid, malum, in vitulo maximè agresti Medicum requiris? Ibi ille: Num, ô bone, te ipsum ignoras? quò sit igitur merces operæ suæ par, Medici pretium accipe, non cauponis. Sensit frugalitatem, optimam hominis esse medicinam.

III. Peritissimi Medici pharmacum cuius morbo in ediam porrigi iubent: nam oppletio, metropoli est morborum, & præcipuus morris satelles. Raro est sanitas mentis, ubi est saturnitas ventris. Exiguo in victu, exigua est voluptas, id est, malitia. Istud tamen est observandum in Astinentiâ; ut ea sit non tantum ciborum, sed vitiorum. Parum edere, & male agere est actum agere; imò, est dæmonem exprimere: quibus licet absit esca, adest culpa. Minor tamen erit vitiorum copia; ubi est major inopia ciborum. Quod gratis videar dixisse, confirmat hæcenus dicta Chrysologus: (a) *Est ieiunium, vitiorum mors, vita virtutum. Ieiunium, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vite: est ieiunium, robur mentium, vigor animarum. Ieiunium, castitatis murus, pudicitie propugnaculum, civitas sanctitatis.* Cui & subscribit D. Ambrosius: (b) *Abstinentiam indicamus corpori, ut à vitis magis animam abstinere possimus. Frenum enim quoddam est luxuriantis Anima, corpus exhaustum. Quisquis enim ieiunat, & peccat, lucrum escarum fecisse videtur, non salutis: & parcendo, copius repleisse cellarium, non mentem saginasse virtutibus. Hoc est salutare ieiunium, ut sicut abstinet corpus ab epulis: ita & anima refrænetur à vitis.* Obligno hæcenus dicta, usitato Poematis penso:

Hic bene ieiunat: qui se de crimine nudat.

14. DIES. SEPTEMBRIS.

Vinum cum mensura emitur, & sine mensura bibitur? Chrysologus serm. 174.

Sobrietas.

1. Sicut Abstinentia in victu, sic sobrietates est Temperantia in potu. Sit licet sobrietates amans ieiunium, non

(a) Serm. 8. (b) Serm. 31.